

1110, marzo, 24

La reina Urraca, esposa de Alfonso I el Batallador, hace donación de varios bienes a Montearagón.

In Dei nomine. Hec est carta quam facio ego Urraca Dei gratia regina totius Hispaniae ad ecclesiam domini mei Ihesu Nazareni de Montearagone et ad illos seniores qui ibi Deo seruiunt. Placuit mihi et libenti animo, quando ego primum ueni in Aragonem recepi ego ecclesiam predictam Ihesu Nazareni et totum suum honorem in meam propriam defensionem et custodiam. Ob remedium animarum parentum meorum quas ipse Ihesus Nazareni cuius ego ancilla sua in paradiso collocet et ut Deus me defendat ab omni malo et dominum meum regem Anfussum et donet nobis uictoriam de omnibus inimicis nostris et ipsi seniores qui seruiunt predicte ecclesie Ihesu Nazareni orent pro nobis ad dominum nostrum Ihesum Christum cotidie in missis, in orationibus suis, in psalmis et colligant nos in omnibus benefactis suis. Precipio itaque et mando omnibus hominibus iure mee tam laicus quam clericis et potestatibus et meis merinis ut secundum forum et consuetudinem quam possit rex Sancius qui edificauit illam ecclesiam Ihesu Nazareni teneant illam ecclesiam Ihesu Nazareni et totum suum honorem et reddant sibi omnes suas decimas et primicias in omni loco et omnes suos directaticos. Quod si aliqua persona laica siue ecclesiastica ecclesiam predictam et habitatores eius in aliquo forcire uoluerit, mando et precipio mirinis meis et amicis meis qui me diligant ut eos adiuuent et defendant. Mando etiam ut uillu-

²²⁰ Ídem: s[u]s[cribo].

lam nomine Cacienam que est sita in pede Monstisaragonis ut quietam et ingenuam possideant canonici Ihesu Nazareni et mando quod nulla persona nec laica nec ecclesiastica propter aliquod tortum siue iniusticiam quam habeat abbas siue prepositus ecclesie Ihesu Nazareni uel aliquis suis homo ut non faciat in predicta uilla Caciene neque in suis terminis neque de aliquo uillano eius uille neque de aliquo suo habere et de suo ganato ubicumque habeat ullam pignoram set in pace et quiete laborent et uiuant ad sustentamentum ecclesie Ihesu Nazareni et suorum habitatorum Deo seruientium uillani et laboratores de illa uilla. Ideo si aliquis iuste uel iniuste ullam pignoram de illa uilla predicta aut de eius habitatoribus in aliquo loco fecerit, persoluat uelit nolit propter meum mandatum quod pretereat? ecclesie Ihesu Nazareni et meo merino de Osca qui eis adiuuabit, quingentos solidos iaccensis monete.

Signum Urrace (*signo*) regine tocius Hispanie.

Facta carta hera M^a C^a XL^a VIII^a. Anno quo mortuus est Almustaen super Ualterra et occiderunt eum milites de Aragonie et de Pampilone, noto die VIII kalendas aprilis. Regnante domino nostro Ihesu Cristo et sub eius gratia Adefonsus gratia Dei imperator de Leone et rex tocius Hispanie maritus meus. Episcopus Stephanus in Osca. Episcopus Petrus in Pampilona. Episcopus Raimundus Guilhelmus in Barbastro. Abbas Eximinius in Monte Aragonie et in Cerasia et in Fanlus. Abbas Sancius in Sancto Ihoanne de illa Pinna. Ciprianus mirinus in Osca. Petrus Pititus in Boleia et in Luar. Castang frater eius in Aguero et Morelo et Riulo et Anes. Fortung Garsez de Bel sobrinus eorum in Poio et in Boleia et in Thena. Ego Arnaldus de Tolosa per iussionem domine mee regine hanc cartam scripsi et de manu mea hoc signum (*signo*) feci.

AHN. Clero. Montearagón. Carp. 622, n.º 21. Documento borroso.